

gra Regna grassatur, cum nulli visi sunt Cometæ. Hæc quidem aliquando præcurrentibus Cometis accidunt, sed sæpius sine illis.

§. XXXV. Deinde cum Cometæ per totam terram circumeant, & omni mortalium genti immineant, quomodo uni cladem, alteri victoriam spondent? qui fit, ut iis hominibus salutaria; aliis noxia præfagiant? Cometarum vis fortassis agnosci posset, si soli Reges interirent, si personas discernere possent, aut magnates duntaxat intuerentur. At cum mixta sint Principum & Plebeiorum funera, quum iidem casus promiscue illos maneant, non plus in hos, quam in mortalium ceteros, potentiam habere statuendum est.

§. XXXVI. Verum dicet aliquis: Constat aliquando hujusmodi sidera divinitus ad aliquis nobis denunciandum impendi: Absit ut id abnegemus: Sed quomodo argumentum convinci potest, in particulari alicujus apparitione ita fieri? An id Deo revelante dignoscitur, ab externis nobis esse cavendum, si ad *occasum* Cometa pergat, & ab internis, si versus *ortum* dirigatur?

§. XXXVII. Quare aut dicendum, *finem* Cometarum esse eum, quem habent *Stelle errantes ordinariæ*; aut alius quis ponendus. Sed pergamus ad alia.

## CAPUT VI.

De

# LUCE COMETARUM.

§. I.

**L**ux Stellarum alia *nativa seu propria*, alia *mutuatitia* est. *Nativam* Sol & stellæ fixæ: *Mutuatitiam* Luna & similia corpora habent, quæ, in se opaca, fulgent lumine recepto aliunde & repercusso.

§. II. *Postremam hanc* lucem etiam Cometæ habent. Quia enim corpora, ex quibus ipsorum materia profluit, maximam partem luce propriâ carent. (De Luna siquidem, Mercurio & Venere res certa est: De Marte, Jove & Saturno probabiliter idem colligitur.) Ideoque etiam Cometæ nullam propriam, vel minimam, lucem habent.

§. III. *Lucem igitur ex Sole hauriunt*, idque per reflexionem ad nos, de more omnium ferè Planetarum, transferunt & propagant; nihilo tamen minus nec lumen semper simile in Cometis exhibetur, pro-